

futurum id confidebat, quod mox evenit, ut quæ boni publi-
ci causa prudenter egisset, ea sapientissimo Pontifici cuncta
facile probaret, pristinumque honoris & gratiæ locum ipsum
reciperet. Cajetano legato in Galliam proficiscenti trecenta
aureorum millia tributa; decem Episcopi itineris ac negotio-
rum comites dati; e Jesu sodalitio quidam adjecti. Quam
celerrime in Galliam contendere, Lutetiam se conferre, ibi-
que commorari jussus; quo loco res Galliæ essent in primis
diligenter observare, non Catholicos modo, verum eos quo-
que, qui Navarræ partes sequerentur, atque adeo Regem
ipsum, si ita sibi expedire videretur, audire; omni cum ho-
minum genere atque ordine versari; eaque dexteritate atque
suavitate agere, quæ ardua hujuscemodi negotia exposcerent:
cuncta cogitata, consilia, actiones in id dirigeret, ut in Gal-
lia catholicæ religioni addictus Rex esset. Iis omnibus a Xy-
sto Reipublicæ oratori communicatis, addit, Cajetano lega-
to Hispaniæ Regis, Sabaudiæ Ducis, atque aliorum Princi-
pum oratores fese adjuncturos; ad eum Lutetiam cuncta re-
latum iri: Senatum hortari, ut Mocenicum eodem proficisci
jubeat. Ea legatio Gallis, qui a Rege stabant, admodum
molesta fuit, quod Philippo magnopere Cajetanum obnoxium
esse constaret, cum ob familiæ perpetuam in eum observan-
tiā; tum quod alter Cajetani frater Regi in Belgio milita-
ret, alter annua pensione cohonestaretur: ut non ad Gal-
liam pacandam, sed ad bellum importandum inductus fuisse
videretur. Hæc licet iis valde repugnarent, quæ Xystus de
Galliæ quiete ac tranquillitate jactaverat; tamen Senatus,
qui optime ejus ingenium noverat, illudque paulatim tractan-
dum ac deducendum, non impellendum cognoverat, maxi-
mas pro iis, quæ legato significaverat, gratias agit; egregiam
in commune bonum voluntatem extulit; pro certo habere
cuncta ejus consilia ad reipublicæ christianæ decus spectare.

Interea Messius, acceptis a Rege literis, quibus legationis
munus apud Rempublicam persequi jubebatur, se, uti Hen-
rici III. Navarræ ac Galliæ Regis legatum, excipi atque
agnosci petiit. Decretum summo Patrum consensu fit: *Se-
natui placere, Messium, uti Henrici legatum, recipi.* De
eo Senatus consulto cum Hieronymus Matthæutius, Xysti

Nun-